Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



Matt

VII

Et egressus Jesus abinde de ꝯ paꝛtem suam
et sequebantur eum discipuli eius. Et factum est sabbato cepit docere
in synagoga eorum. et multi audientes eum admirabantur in doctrina
eius dicentes. Unde huic hec omnia. et quis est sapientia quam datum est illi. Et virtutes
tales qui per manus eius efficuntur. nonne iste est faber et filius mathe
fratres iacobi et ioseph et iude et Symonis. nonne et sorores eius hic
nobiscum sunt. et scandalizabantur in illo. Et dicebat eis iesus. Quia non
est propheta sine honore nisi in patria sua et in cognatione sua et in do
mo sua. Et non poterat ibi ullam virtutem facere. nisi paucos infirmos
impositis manibus curauit. et mirabatur propter incredulitatem eorum
Et circuibat castella in circuitu docens. Et conuocauit duodecim et ce
pit eos mittere binos. et dabat eis potestatem spirituum immundorum et p
cepit eis ne quid tollerent in via nisi virgam tantum. Non panem neque
pecuniam neque in zona es. sed calceatos sandaliis. et ne induerentur
duabus tunicis. et dicebat eis Quocumque introieritis in domum illic
manete donec exeatis inde. Et quicumque non receperint nec audierint vos
exeuntes inde excutite pulueres de pedibus vestris in testimonium
illis. Et exeuntes predicabant ut agerent penitentiam. Et demonia
multa eiiciebant et vngebant oleo multos infirmos et sanabant
Et audiuit herodes rex. manifestum enim factum est nomen eius et di
cebat. Quia Johannes baptista surrexit a mortuis. et propterea o
perantur virtutes in illo. Alii autem dicebant quia helyas est. Alii autem
dicebant. quia propheta est. Alii autem quasi vnus ex prophetis. Quod audiens
herodes ait. Quem ego decollauit Johannem hic a mortuis resurrexit
Ipse enim herodes miserat et tenuerat Johannem et vinxerat eum in carcere
propter herodiadem vxorem fratris sui philippi quia duxerat eam. Dicebat
enim Johannes herodi. Non licet tibi habere vxorem fratris tui. Hero
dias autem insidiabatur illi et volebat eum occidere. nec poterat. Herodes
autem metuebat Johannem sciens eum virum iustum et sanctum et custo
diebat eum. Et audito eo multa faciebat. et libenter eum audiebat
Et cum dies opportunus accidisset. Herodes in natali suo cenam fe
cit principibus et tribunis et primis galilee. Cumque introisset filia
ipsius herodiadis et saltasset et placuisset herodi. simul cum discum
bentibus. Rex ait puelle. Pete a me quod vis et dabo tibi. et iu
rauit illi. quia quidquid petieris dabo tibi licet dimidium regni mei